

inferiores sphaera proprijs motibus ab occidente in orientem; Ita ut, etiam si ab ortu in occasum rapiantur, continue tamen ab occidente per meridiem in orientem, & hinc rursus per mediam noctem in occidentem delabantur quoq; ; Qui quidem motus fit super polos Zodiaci distantes a polis mundi iuxta recentiorum obseruationem 23 gr. & 30 min. & per circulum Zodiacum. Hic autem motus per se conuenire dicitur inferioribus sphaeris, & non per accidens; Quemadmodū, si quis in aliqua nauī delatus ab oriente in occidentem, ambularet proprio motu progressu suo ab occidente in orientē, procul dubio is, licet multo velociori motu a nauī in occidentem moueretur, quā motu proprio progressu in orientem, diceretur tamen per accidens ad motū nauis tendere in occidentē, quia motu alieno fertur, per se vero in orientem, quia motu proprio incedit; quo etiam moueretur, quamuis nauis immota permaneret: Sic igitur iste motus etiam ab occidente in orientem inferiorum sphaerarum dicitur illis conuenire per se, quia licet nullo pacto a primo mobili raperentur, adhuc tamen motu hoc tenderent in orientem ab occidente.

QVONIAM vero impossibile videtur, vnum & idem calum posse se vno, eodēq; tēpore moueri ab oriente in occidentē, & ab occidente in orientem, cum oriens, & occidens sint opposita, & contraria; Respondent nonnulli, hoc non esse incōmodum, quia hi duo motus contrarij fiunt super diuersos polos, & per lineas diuersas. Mouentur enim ab oriente in occidentem super polos mundi, arcticum scilicet, & antarcticum, & per circulum æquinoctialem: At vero ab occidente in orientem mouentur super alios polos, nimirum super polos Zodiaci, & per circulum Zodiacum. Verum hæc responsio non placet, quoniam in ea conceditur vnum, & idem mobile posse contrarijs motibus ferri, quod impossibile est omnino. Si enim mouetur quippiam ab oriente in occidentem, fieri non potest, ut eodem tempore ab occidente in orientē moueatur; Hac enim ratione accederet ad occidentem, & ab eodem recederet, quod nec per eandem lineam, nec per diuersas lineas fieri potest, cum hæc duo maxime inter se pugnent. Quamobrem dicendum est, nullo modo predictos duos motus inuicem esse contrarios. Omnes enim celi inferiores, qui raptu primi mobilis mouentur, quamuis per accidens, & preter naturam suam ab ortu in occasum ferantur, nempe motu alieno; per se vero ab occasu in ortum, puta proprio motu, & secundum propriam naturam tendant: Simpliciter tamen ab oriente in occidentem